

hom. XIV. in evang. « Lupus super oves venit, eum quilibet injustus et raptor fideles quosque atque humiles opprimit. » Respondet secundo idem sanctus, ibid. « Sed est alius lupus, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidians circuit, et mortes animarum quærit. » Et mox : « Lupus rapit, et dispergit oves, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit, hunc invidia stimulat, illum fallacia supplantat. Quasi ergo lupus gregem dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. » Ad hæc insatiabilis est in laniandis animabus, ululat in cælum, blasphemando Deum, etc.

Respondetur tertio secundum apostolum Act. XX. lupos esse hæresiarchas : *Ego scio*, inquit, *quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*. Hi enim imprimis insatiabili ingluvie jugulant, quos possunt; deinde, miro odio prosequuntur canes, id est, Ecclesiæ doctores, qui illis impedimento sunt; ad hæc uti lupi Africani teste Augustino fingunt, interdum vocem canis, et pastoris; ita illi sub prætextu Scripturæ decipiunt. Taceo alia. Tria dicitur facere lupus; primo, venit; secundo, rapit; tertio, dispergit oves. Idem fecere primo, tyranni qui in ovile Christi grassati, alios fideles rapuerunt ad martyria, alios disperserunt in exteras regiones et solitudines. Deinde, hoc facit diabolus qui venit subdole per tentationem; rapit dum per consensum trahit hominem quasi unguibus comprehensum ad peccatum, dilaniat dum in alia et alia vitia ac demum in profundum vitiatorum impellit; dispergit oves, cum discordias seminat, cum a quiete mentis in extraneas cogitationes, et curas mundi abstrahit, ut homo sui et Dei oblitus vagetur extra se cum prodigo filio. Denique, id quoque hæresiarchæ faciunt, qui veniunt, non missi a legitima potestate, deinde rapiunt oves dentibus blandiloquentiæ suæ, denique aliis in hæresin abreptis alios dispergunt, et ejiciunt ex sedibus suis, scindunt urbes, et familias in diversas sectas, conjiciunt alios in dubia et perplexitates ut nesciant quid credere, quem pastorem sequi debeant.

VII. Quænam oves? Resp. hoc loco esse omnes fideles, sive bonos, sive malos, qui in ovili Christi sunt; quia nimirum Dominus voluntate antecedente vult eos omnes esse oves veras, id est, electos, et quantum in ipso est conatur eos tales facere. Recte autem homines comparantur ovibus. Primo, quia uti oves, ita et ipsi a natura inermes creati sunt, ut mansuetudine pollerent. Secundo, infestantur tot morbis, quot oves, ut scribit Aristoteles. Tertio, brevi tem-

pore vivunt, quemadmodum et oves quæ ad denos annos, duces vero pecoris ad quindenos annos pertrahunt vitam, inquit Aristoteles, VI. hist. anim. cap. XIX. Quarto, singulæ respublicæ singulos habere rectores debent, quemadmodum et singula ovilia singulos duces, Aristot. ibidem. Quinto, sæpe et facile deviant ab æquo et recto, quemadmodum et oves a via et grege; unde ut hæc lupo, ita illi dæmoni præda fiunt.

Dicuntur hæc oves primo, Christum pastorem suum agnoscere (*cognoscunt me meæ*) partim per fidem, uti omnes fideles, e æjusmodi non erant Pharisæi, qui de illo dicebant: *Hunc nescimus unde sit*, Joan. IX. partim etiam per dilectionem, uti illi tantum, qui in gratia constituti. Et hæc est cognitio approbationis et amicitiae, de qua I. Joan. II. dicitur: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non observat, mendax est*.

Secundo, audire vocem ejus (*vocem meam audient*). Solent enim agnoscere oves vocem matrum e millibus licet aliis, necnon et pastoris suis vocem ac sibilum: ita ergo et fideles non modo Ecclesiæ universalis matris suæ vocem, sed etiam pastorum suorum mandatum et nutum audire convenit. Hoc significarunt cognati Job, qui post exantlatos patientiæ labores singuli obtulerunt ei ovem unam cum inaure una aurea, Job, XLII. nimirum Christo post immensos crucis labores offerendas in mercedem et solatium laborum esse gentes ex omnibus mundi plagis, velut oves, quæ promptissima voluntate vocem ejus auditoræ essent.

VIII. Quæ oves aliæ extra ovile synagogæ fuerunt? Resp. fuisse gentes. Fuerunt enim ab initio mundi semper justi aliquot ante synagogam exortam, qui de semine Judæorum non erant, a circumcissione enim Abraham primum cœpit synagoga Judæorum (quibus satis erat credere in unum Deum salvatorem et retribuatorem operum) quamquam illa Ecclesia inter gentes propter corruptam hominum naturam et introductam undique idololatriam nimium quantum imminuta fuit usque ad Christi adventum, crescente interim synagoga. Has igitur oves adducturum se ait Christus, ut ex utroque ovili, gentilium et Judæorum unum faceret, eadem fide, iisdemque legibus sub uno summo pastore visibili colligendum, eadem doctrina, iisdem sacramentis et cæremoniis pascendum: extra hoc ovile se nullas habiturum oves.

IX. Quare Christus Ecclesiæ suæ regimen voluit esse monarchicum, seu unicum ovile sub uno summo pastore visibili? Resp. quia cum tres sint species regiminis, aristocratia, quæ est plurium, sed optimatum, qualis cernitur Venetiis et Genue: democratia, quæ est populi, qua-

lis est in Helvetia et Hollandia: monarchia, quæ est unius summi rectoris; hæc cæteris præcellit, et optima est ex mente omnium philosophorum, necnon principis poetarum Homeri, qui Iliad. l. II. canit: *Non est bonus multorum principatus*, unus princeps est, unus rex. Ratio prima, quia etiam imperium mundi totius est monarchicum sub uno Deo, mundi rectore. Par igitur erat uti etiam Ecclesia Christi in terris, sicut unum habet caput invisible in cælo, Christum scilicet ipsum, ita unum visibile haberet in terra.

Secunda, quia in monarchico regimine melius conservatur unitas et concordia, quando ea ab uno summo capite influit in omnia membra: discordiarum, æmulationis et invidiæ causa est pluritas rectorum. Tertia, quia solidior et durabilior est virtus unita; quod sequitur ex præcedente. Nam *omne regnum in seipsum divisum desolabitur*, teste Domino. Quarta, facilius reperitur unus bonus et idoneus regimini quam plures. Denique inter plures pastores, minor est singulorum sollicitudo et attentio. Unde solemus dicere, male pasci oves a pluribus pastoribus: pluribus a coquis male condiri juscula. Adstipulatur huic sententiæ ipsa natura. Unus in mundo sol, unius

regni unus est rex, unus exercitus unum habet ducem, una navis unum gubernatorem, una domus unum patrem familias. Rursum: « In apibus principes sunt: grues unum sequuntur ordine litterato: imperator unus: judex unus provinciæ. Roma condita duos fratres simul reges habere non potuit. In Rebecæ utero Esau et Jacob bella gesserunt. Quare episcopus unus, non duo esse debent, » inquit S. Hieronymus, epist. IV. ad Rusticum monachum. Hinc S. Gregorius, Cant. IV. docet Ecclesiam pulcherrimo malo punico similem esse, nam ut plurima sunt mali punici grana uno cortice conclusa, sic plurimi sunt Christiani una Ecclesia contenti. *Per malum punicum* (ait Gregorius) *Ecclesia designatur, quia dum multos populos in unitate fidei nutrit, quasi multa grana sub uno cortice stringit, etc.* Punicum malum coronatum est, unamque tantummodo coronam habet; ita Ecclesia coronata est, unamque solum habet maximi pontificis tiaram ecclesiasticam: inferiores enim episcoporum tiaræ omnes summæ illi parent. Maneat igitur Ecclesiæ regimen monarchicum velut omnium optimum.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUANTA PROVIDENTIA NUTRIAT DEUS GENUS HUMANUM.

- I. Nutrit magnifice. — II. Pascit paterne et amenter.
- III. Pascit mirifice. — IV. Pascit sapienter. — V. Nutrit constanter.

THEMA.

Ego sum pastor bonus. Joan. X.

Salvator noster, auditores, magister est et speculum humilitatis, sicut ipse profitetur, Matth. XI. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*

Quomodo ergo seipsum prædicat in hodierno evangelio dicens: *Ego sum pastor bonus?* Neque enim humiles commendare seipsum volunt. Non difficilis est responsio. Quando enim quis se commendat non sui causa, sed propter bonum aliorum, non solum non reprehensionem, sed laudem meretur. Exempli causa, si qui dives hospes, aut paterfamilias videat adventantes pauperes peregrinos, qui sub dio manent, et hospitii intrare timent, eo quod parum viatici, et caponum avaritiam habeant suspectam: si, inquam, dives ille vocaret peregrinos ita in domum suam: *Ad me vos divertite: ego sum bonus capus; alii quærent aurum; vestrum ego*

vero minime: gratis vos alam et fovebo in domo mea, tantum mihi gratias agite. Quis hoc succensere diviti huic posset, quod se bonum caponem diceret? Jam ergo vidit Christus pauperes in hoc mundo quam plurimos, qui jacebant sicut oves non habentes pastorem. Vidit etiam lupos et prædones, qui se jactabant pastores, erant vero carnifices et laniones, qui oves non tam pascebant, quam ad macellum trahebant; quare ut oves illas ad se alliceret, commendare illis debuit suam bonitatem, quod nimirum eas gratis pascere et ad vitam, non ad mortem vellet. Quis hanc benignitatem non laudabit in pastore nostro? Atqui nos hi peregrini pauperes, nos hæc oves sumus, quos sane pascit quotidie, non tantum spirituali, sed etiam materiali cibo, pascit inquam, gratis, nec aliud a nobis requirit, quam ut ipsi grati simus, eum velut pastorem nostrum agnoscamus et amemus. Quod ut impensius fiat, videamus quomodo nos pascat.

I. Pascit nos magnifice; regio quasi apparatus, qualis fuit in convivio Assueri: quamquam illud umbra tantum aliqua fuit istius, quod instituit Deus; ille excepit convivio universum populum, qui erat in Susan: Deus excepit univer-

sos homines, quotquot sunt in mundo. Ille in vestibulo horti et nemoris, regia manu et cultu consiti, sedem convivii posuit: Deus in vestibulo cœlestis regiae suae, h. e. in spatioso terrarum orbe, quem ipse manibus suis, ut sic dicam, condidit, suum præbet epulum: ille locum aulæis adornavit, sed quid ornatus hoc mundo, in quo pascimur nos. Ille omnis generis dapes in variis afferri vasis, vinum quoque regia magnificentia dignum apponi iussit: Deus innumera ciborum genera, necnon potuum providit. Ille 188. diebus convivium continuavit: Deus suum continuat per multa sæcula, et continuabit ad mundi finem. Hinc ut observat Procopius, creavit Deus mundum et ea, quæ in ipso sunt, eo fere ordine, quo magnificentia aliqua apparatur cœna. Imprimis de die locus mundatur, ne quæ sordes offendant convivas: deinde epulæ parantur, et mensæ sternuntur: post lucernæ undique accenduntur, et dapes a dapiferis ad mensas inferuntur: tum præcedunt servi et ministri, quos sequitur Dominus et rex epulaturus. Hunc in modum Deus paravit homini mensam suam. Primo die creavit terram et lucem: sequenti separavit aquas et terram a firmamento, et struxit cœnaculum: deinde instravit terram herbis, et instruxit mensas, producendo omnis generis fruges. Post accendit luminaria in cœlo. Tum animalia, quæ ad esum homini data, introduxit quasi dapiferos, reliqua velut ministros et epebos, ad nostram recreationem, musicam, medicinam aliaque servitia. Ad extremum introduxit hominem velut regem, cœnaturum in mensa regia et opulentissima. Quid enim est, quod homo ad cibum et potum desiderare possit, et non reperiat in hoc mundo? Brutis non nisi simplicem et uniformem fere cibum dedit, uti et vestitum; at homini omnifarum; quidquid volat, natat, reptat, graditur, hoc providit et permisit homini, juxta id Jac. 1. *Dat omnibus affluenter, et non impropere.* Verum hic duo observanda sunt.

Primum, non apparasse Deum nobis mensas, quæ jam dapibus instructæ sponte sua incederent et nobis otiantibus obviant, quales dicitur instruxisse Iarchas Brachmanum antistes, et regi invitato obviam misisse, apud Philostr. Apoll. ne otium nostrum et quæ inde orientur, infinita vitia foveret; sed proposuisse mensas illas labori et industriæ nostræ; ita ut omnes quidem pascant, sed pro cuiusque labore lautius aut frugalius. Visus est hoc gentilibus etiam rationi conveniens, quorum multi non nisi post cursus, venationes, luctas aliaque exercitia dabant filiis cibum. Lucani filiis suis nullum alium apponebant, nisi quem a venatione domum reportassent, teste Alexandro ab Alex. lib. II. cap.

XXV. Apud Baleares insulas, matres pueros a prima statim infantiâ hoc labore assuefaciebant, ut nisi oblatum cibum baculo aut funda prius attingissent, eo vesci prohiberent. Qua ratione cibum laboribus quærendum esse docebant. Idem ibid. Hoc igitur quia decentissimum, Deus etiam instituit, ut qui vult bene vesci, bene prius laboret: qui bene cubere, bene sibi lectum sternat.

Secundum, non ideo Deum præparasse nobis omnis generis victualia, ut iis ingurgitemur et helluemur, (absit hoc a Deo) sed ut liberalitatem et benevolentiam suam nobis demonstret; ad instar prædixit viri, qui dilectis hospitibus opiparum instruit convivium, ex quam plurimis deliciis et bellariis confectum; non ut omnia absorbeant indeque valetudini suæ noceant, sed ut pro libito, quæ sibi placita simul et salubria sunt, accipiant; quo modo etiam Assuerus cavet, ne quis alterum adigeret ad excessum moderaminis, in suo illo opulentissimo convivio.

II. Pascit nos paterne atque amanter, primo, quia etiam non rogatus, quo modo parens filios, quasi ex quodam debito; quod tamen in Deum proprie cadere non potest. Quam multos putatis esse, qui totis diebus, imo et septimanis nihil orant, et ad mensam nulla præcætiuncula, aut pia cogitatione præmissa consentent velut bruta? Male enim sibi persuadent, se ex propria quadra vivere, cum vivant ex aliena, quam paravit illis Deus, creaturarum ministerio, et quidem plurimarum. Quot enim creaturæ collaborare debent, donec parent tibi avem, panem, piscem? Et harum, si vel una desit officio suo, v. g. pluvia non cadat, aut sol non calefaciat, actum est de victu nostro.

Secundo, quia non modo necessaria ad vitam cœservandam dat, sed talia etiam quæ appetitum acuunt, gustum recreant, et delectant, dulcia, sapida, succosa; ac si qua ex natura sua saporem valde gratum non habent, adjunxit condimenta, quibus sapida reddantur: salem, herbas, aromata, saccharum, mel, lac, butyrum, sinapi, acetum et similia, ad instar liberalissimi patrisfamilias, qui charissimos amicos omni officiorum genere permulcet. Quod si forte alicui non sapit cibum etiam bene coctum, in promptu habet aliud triplex condimentum, scilicet laborem, inediam et desperationem melioris cibi. Quæ tria etiam viles cibos faciunt sapidissimos.

Tertio, quia esculentis illis et potibus addidit decorem, gratiam et pulchritudinem, quasi illecebaram allicientem et provocantem homines ad edendum et bibendum: vino splendorem aureum aut rubicundum; pomis ac piris genas

quasi rubore perfusas ac ridentes; frugibus aliis colores varios præstantes, flavum, cæruleum, viridem, rubrum: formas et figuras diversissimas, ne videndo eandem semper speciem contraherent nauseam; quasi per hæc provocare eos et invitare ad vescendum velit, velut pater filios aut hospites amantissimos animat: *Comedit amici, et mebramini charissimi*, h. e. satiamini. Certe Eva pomi pulchritudine allecta est ad edendum pomum, sibi licet vetitum: similiter et ægroti, qui a cibis abhorrent, eorum sæpe aspectu provocati edere incipiunt.

III. Pascit mirifice primo, tot milliones hominum, qui vel fracti morbis aut senectute, vel mutili aut cæci, seipsos sustentare suis laboribus nequeunt: vel amore Christi in voluntaria paupertate degunt, ut Deo liberius serviant, adeoque non labore manuum, sed ex stipe vivunt: interim nihilominus satiantur omnes, juxta id Psalm. XXI. *Edent pauperes et saturabuntur*, rarissime auditur perire aliquem inedia; nisi cum interdum communis annonæ penuria est. Quod non solis in nominibus, sed in omnibus animantibus cernere est, teste Psal. CXLIV. *Aperis tu manum tuam, et implet omne animal benedictione*, quia omnia serviunt nobis; quodque mirandum est, pleraque sine omni nostra opera aut cura alit et conservat; non est avicula tam vilis et parva, cui non singulis diebus præparet suum cibum, et reponat eo loco quo inveniri ab ea possit.

Secundo, pascit sæpe in locis sterilibus ac desertis, ubi ob cœli intemperiem summa rerum inopia est; supplendo eum defectum miris aliis modis, ut alibi dixi. In Quivira regione novæ Hispaniæ reperiuntur boves vulgo Corcobado dicti, qui plurimarum rerum necessarium defectum hominibus suppeditant. Sanguinem ejus indigenæ recentem bibunt vice potus, eoque sicco et concreto utuntur, aqua diluentes tamquam lacte; carnem crudam edunt, quæ illis loco panis et carnis est; cornibus utuntur ad pocula, vesica et ventriculo pro vasis, pelle pro utribus; e corio domos, funes, calceos ac vestes, ex ossibus arma conficiunt, e nervis fila crassiora, pilis tenuiora, (pilos enim instar lanæ tenues habent, in quibusdam corporis partibus) stercore ignem nutriunt. Itaque hoc unum animal ad omnes fere usus vitæ indigenis conducit. Refert Gara. l. VII. de variet. cap. XXXIII. Peter. ix. cap. VI. Gen. Mirabilis quod hæc eadem alteri genu præstet una arbor, dicta Cocceus. Ex ea enim butyrum, oleum, acetum, saccharum, colorem coccineum, aquam, navigia, funes, vela, matum, clavos, ac remos confici, ut nihil ex illa pereat asseverant Petr. Hispal. in silva, p. V. c. XVII. Lud. Barb. rer-

Indic. lib. II. c. XV. Odoardus Barb. de reb. fin. p. IV. c. VIII. Ad hæc quæ alicubi hominibus venena sunt, alibi cibi salubres sunt, uti nobis persica, quæ in Persia sunt noxia. Dracones sine noxa comeduntur ab Æthiopicis, solo felle et lingua abjectis velut venenatis, teste Sotino. Confirmat idem B. Petrus Damiani, lib. 1. epist. ep. XVII. ad Alexand. Pp. « Vidit certe, inquit, grandævæ jam ætatis episcopus qui etiam ad fidem Christi, convertisse non pauca gentium millia dicebatur. Hic perhibebat, quia dum per Æthiopiam transiit, magni draconis carnes, fame fauces obduleante comedit, ut etiam juxta litteram illud Psalmistæ videatur impleri: Tu confregisti caput draconis, dedisti eum escam populo Æthiopum.

Tertio, pascit miranda cum benedictione, ut sæpe tenui e penu quasi miraculo quodam plurimi sustententur. Comprobari hoc potest facto Friderici III. imperat. (ut alibi dixi) qui in comitiis Coloniensibus hospitum ac civium capita censeri, simulque panes eo die reliquos jussit, invenitque quatuor aut quinque personis vix obolarem panem respondisse. Taceo naturæ miraculum, quo e paucis granis ingentes segetes, e pluviis vina aliasque fruges singulis annis gignit.

IV. Pascit sapienter, primo enim, juxta varia anni tempora et menses fere, alia et alia victualia nobis producit ac proponit, ut ne fastidio eorum fatigemur, et omnia suis temporibus quiescant, quibus iterum multiplicentur. « Sed nec ipsos quoque proventus arborum aut agrorum, inquit Petrus Damiani, loco, citat. Omnipotens conditor in unam quodammodo congeriem coacervat; sed diversa diversis temporibus vel agenda vel edenda dispensat. Nam si eodem tempore cuncta ad vescendum poma concurrerent, et fastidium congestæ vescentibus gignerent, et simul consumpta de copia inopiam generarent. Sed nunc ita diversis sunt variata temporibus, ut dum illa comeduntur, hæc maturescant, et dum alia consumpta pertranseunt, alia mox maturata succedant. » Denique, si pruina aut grando damnum frugibus faciat, non omnia consumit; sed primitivas aut serotinas intactas relinquit.

Secundo, permisit aliquid homini, ut suam adderet industriam ad comparandum sibi cibum; tum ut otium vitaret; tum ut honeste se recrearet agricultura, opificiis, venatione, aucupio, piscatione, navigatione; studiis litterarum: ut ita suavius ei saperet cibum, quem ipse sibi parasset juxta id Psalm. CXXVII. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit.* Atque ut cibum sibi per diem commode compararet eoque frueretur exclusit

a die feras bestias, ne hominis laborem turbarent, et ut ipsæ etiam noctu sibi victum quærere sine impedimento possent.

Tertio retrahit subinde manum et clades immittit in fruges et pecora, castigatque penuria variis de causis. Primo, propter peccata, sicut bonus parens subtrahit aut abscondit filio cibum propter ejus delictum; uti minatur Deus, Zach. XI. *Non pascam vos: quod moritur, moriatur; et quod succiditur, succidatur; et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.* Secundo, ut sciamus nos hæc victualia non habere a nostra industria aut cæca fortuna, neque ex debito, sed a Dei beneficentia, cui proinde supplicare pro his et agere gratias oporteat. Tertio, ne crescente nimium rerum abundantia iis abutatur et ingurgitemur, indeque Dei obliviscamur. Deinde, ut querelæ cessent multorum qui se fruges et vina sua dividere non posse lamentantur, quod nullo fere in pretio sint propter eorum copiam.

V. Pascit constanter primo, per totum vitæ nostræ decursum, singulis annis replens cellaria et horrea nostra vino ac frugibus, gyrans solem circa nos, velut lapidem molarem, qui continuo molens farinam nobis infundat, quam diu vivimus. Quod sane velut maximum beneficium commemoravit Jacob jam decrepitu, Genes. XLVIII. *Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem.* Non parentibus suis, non agris, non pecoribus, denique nec laboribus suis adscribit sustentationem suam, sed Deo a prima ætate usque ad ultimam. Quod beneficium se ei peculiari et quasi religioso cultu, Genes. XXVIII. *Si dederit mihi partem (Deus) ad vescendum, et vestimentum ad induendum, etc. erit mihi Dominus in Deum.* Idem faciendum esse omnibus ejus posteris insinuavit Deus, cum jussit, Exod. XXV. juxta numerum duodecim panes in mensa sacra ut scirent se ejus cultui obstrictos, qui continuo eos pascit.

Secundo, pascit etiam ingratos et rebelles sibi, panes que eis proponit, a quibus ipse lapidibus impetitur, blasphemis, perjuriis aliisque sceleribus. O pastorem bonum! Clementem! Patientem! Quis facile reperitur, qui vel uno die pascere velit inimicum suum? In insula quadam oceani Germanici, quæ terra sancta appellatur, incolæ ex halecum seu harencorum raptu aluntur, qui cum semel ex petulantia halecem unum captum, circa annum Domini 1530. virgis cecidissent: adeo deinceps haleces eo loci imminuti fuerunt, ut cum prius ad bis mille homines vitam eo quæstu sustentarent, postea vix centeni inde vivere potuerint, ut refert Aldron. lib. tertio de piscibus, cap. X. En propter unius hominis petulantiam et ingratitudinem subtra-

hunt se pisces victui humano: et tamen Deus optimus et benignissimus tot ingratorum injuriis quotidie, tot blasphemis cæditur, lacessitur, nec subtrahit se illis, aut victum necessarium. Et quot pascit adhuc corvos, nigros animo gentiles, qui ipsum non noverunt? Quot Arabes, Turcas, Judæos, qui ipsum persequuntur et blasphemant? Quot malos Christianos, qui ipsius donis et victualibus in suam perniciem et Dei injuriam abutuntur?

Videte igitur, auditores, quam bonum pastorem habeamus et quid ipsi debeamus. Sed quid a nobis requirit? Nihil aliud, nisi ut ipsum tamquam nostrum pastorem agnoscamus et amenus. Discamus hoc a gentilibus: Ægyptiorum agri pluvis destituti, sola Nili inundatione fecundantur. Ergo inundantis aquæ ulnam seu mensuram singulis inundationibus in templum Serapidis, cui id beneficium adscribebant, deportare solebant: Constantinus tamen imp. christianus postea ad Ecclesiam Alexandrinam deferri jussit, Socrates, lib. I. hist. cap. XIV. Discamus a populo Hebræorum, qui vel semet a Christo in deserto pastus quinque panibus, voluit eum rapere et regem creare, Joan. VI.

CONCIO II.

QUAM BONUS PASTOR CHRISTUS SIT.

I. Defendit oves suas.—II. Ad bona pascua ducit.—III. Quærit oves errantes.—IV. Inventam ovem in humeros tollit.—V. Curat ut sanæ sint et medetur morbis.—VI. Dat pro ovibus animam suam.

THEMA.

Ego sum pastor bonus. Joan. X.

Videri posset alicui verbum hoc Salvatoris nostri propriam laudem sapere, quasi seipsum commendaret, dicendo: *Ego sum pastor bonus.* Sed occurrit huic scrupulo imprimis Eusebius Emissenus, in hodierni evangelii expositione, qui ait: « Quod pastorem se Dominus dicit, dignatio est, non promotio: inclinatio est, non dignitatis alicujus aliqua sublimitas. Sed non dedignetur se pastorem dicere, qui pastoris officium injurias et labores non est dedignatus subire. » Nemo jactabundum diceret Roman. imperat. si se bonum agricolam, vel etiam bonum nobilem assereret, demissionem enim animali verbo demonstraret omnibus admirandam; Dei Filius ex natura et essentia sua et hac ratione solus bonus est: et interim se pastorem dignatur appellare, quid mirum si addit bonum? *Ecce enim,* inquit S. Greg. in evang. hod. qui non ex antecedenti dono, sed essentialiter bonus est, licet: *Ego sum pastor bonus.* Certe in Scriptura sacra reges et principes frequenter appel-

lantur pastores ad eorum depressionem; quia ut tradit S. Hieronymus, in c. XXXVIII. Ezech. *Superbum nomen imperii pastoris vocabulo mitigatur.* Deinde occurrit S. Gregor. homil. XIII. in evang. qui nobis quidem periculosam esse propriam commendationem asserit. Deo vero nihil obesse: *Qui enim laudibus non eget, inquit, nec verbis honorificis, sit major vel sublimior, tuto se potest laudare.* Denique occurrit Græcus interpres, qui sic refert Christi verba: *Ego sum pastor ille bonus;* de quo nimirum vaticinati sunt propheta, venturum aliquando pastorem, qui proprias suas oves, non alienas sit pasturus. Isaias, c. XL. ait: *Ecce Dominus Deus fortitudine veniet, etc. Sicut pastor gregem suum pascet in brachio suo congregat agnos et in sinu suo levabit: fetas ipse portabit.* Ezechiel, c. XXXIV. *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascet eas: servum meum David* (h. e. Christum filium David: hic enim jam dudum fuerat mortuus, ut notat S. Ambrosius, lib. VII. epist. XLVII.) Taceo alios. Unde intelligo Christum voluisse dicere se esse pastorem illum magnum et bonum, pastorum omnium caput et exemplar, qui in Scripturis prædictus fuit, ut missioni suæ fidem apud incredulos conciliaret. Solum igitur hoc super est, ut ostendam: *qua ratione Christus fuerit pastor ille bonus; quod hic investigabimus.*

I. Bonus pastor defendit oves suas contra lupos, canes, fures; unde semper eis a tergo adest, ut periclitantibus succurrat. Hujusmodi pastor erat David, qui si forte leo vel ursus rapuisset ipsi ovem, persequeretur eos, eruebatque eis prædam e faucibus, et occidebat eos, I. Reg. XVII. Idem multo excellentius præstat Ecclesiæ suæ princeps pastorum, Christus. Quod enim olim præstitit synagogæ Deus, nonne a potiori præstabit Ecclesiæ suæ Christus? De illius vero protectione sic loquitur Isa. XXXI. *Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam, et cum occurrit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non parebit, sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion, et super collem ejus. Sicut aves volantes, sic protegat Dominus exercituum Jerusalem, etc., contra Sennacheribum videlicet sub Ezechia rege. Priori similitudine explicatur robur, posteriori pietas et clementia protectionis divinæ. Ergo: « Sicut leo et catulus leonis esuriens, inquit ibi Hieronymus, si cernat ovium gregem, nulla pastorum voce terretur et multitudinem eorum, conscius virium suarum despiciat: sic Dominus præliabitur super montem Sion contra adversarios ejus. » Et rursum: « Quomodo aves ut defendant fœtus suos, nidus supervolant: et sive serpen-*

tem, sive homines viderint avesque alias ad pullos suos accedere, oblitæ suæ imbecillitatis, rostro pugnant et unguibus, doloremque pectoris garrula voce congeminant: sic Dominus proteget et salvabit Jerusalem. » Ita sane Christus defendit Ecclesiam suam longe adhuc majore zelo, quam olim synagogam. Videre id erat in Sancto Stephano cui laboranti in concilio et imbre lapidum, ostendit semetipsum et gloriam suam assurgens de cælesti throno suo, ut præliantem adjuvaret atque animaret, victoremque cum triumpho exciperet, Act. VII. Paulo post defendit exiguum gregem suum, qui erat Damasci, contra lupum illum, Saulum, minas et iras spirantem, pergentem in Damascum, ut affligeret fideles et victos abduceret. Velut avis prolificat rostro oris sui et clamore pugnavit pro fœtibus suis in hunc lupum: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quemadmodum enim aquila etiam cum a nido suo avola, oculos tamen ad eum semper reflectit, ut defendat pullos contra invasores: ita Christus Dominus in nidum illum vigilanti semper respexit oculo et lupum inde depulit. Satis id ostendit Dominus adhuc in carne degens, quando in monte Oliveti, tempestate et sibi et suis imminente; oraturus Patrem avulsus est ab eis, quasi non sponte sed vi illata; nec magis procul, nisi ad jactum lapidis, ut mox adesse suis posset: cum tamen legamus Agar ancillam recessisse a filio suo infante ad jactum arcus, adeoque magis procul, Gen. XXI. ut proinde Christus magis amasse suos hinc colligatur, quam vel parentes ament filios suos. Neque aliter recessit, nisi ut vigilaret, et dormientibus discipulis invigilaret; quos et sæpius revisit. Quis ex his non videt quam fuerit pastor bonus?

II. Bonus pastor oves suas ad bona pascua ducit. Idem facturum Christum prædixit Ezechiel, cap. XXXIV. ubi de ejus missione et officio inter alia ait in persona ejus: *Pascam eos in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eos, et in montibus excelsis Israel erunt pascua eorum: ibi requiescent in herbis virentibus et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam eos, etc.* Pascua in montibus sunt contemplationes et exercitia anachoretarum et religiosorum, qui in illis requiescunt et impinguntur spiritu, luduntque summa voluptate velut oves in herbis virentibus. Pascua in vallibus ad rivos sunt. Primo, verbi Dei prædicatio, omnibus passim obvia, et multis ad nauseam usque proposita et inculcata. In quo pastorum bonorum industriam servare voluit Dominus. Ille enim, ut scribit Vincentius, in spec. nat. to. 1. lib. XVIII. cap. LXXII. in æstivis caloribus pas-